



Disciplinae Speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia  
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:  
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
 et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-  
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem  
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus est quem Metaphy-  
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.  
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

26

SPECIALIS  
METAPHYSICÆ  
DISPUTATIO VI.

De  
NATURA ACCIDEN-  
TIS UT SIC,

*Et in specie*  
DE QUANTITATE.

*Quam*  
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis,  
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,  
Croppenstadiâ Halberstadenſis Saxonis,  
Amplifs. Facult. Philof. Adjuncti,

*In*  
incluta WITTEBERGENSIUM ACADEMIA  
*Publico examini submittit*

CASPARUS CUNRADUS SAHERUS  
Curiâ Variscus,

In Auditorio Philosophico,  
*Ad diem 10. Aprilis horis à 7. matut.*



WITTEBERGÆ,  
Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.

ANNO MDCXXIV.







SPECIALIS METAPHYSICÆ  
DISPUTATIO SEXTA.

*Continuatio.*

**D**E Substantiis hucusque actum est; nunc rectè se offert *Accidentium evolutio*, quæ eodem modo institui debet, *sub ratione Entis* in Metaphysicâ, quemadmodum supra substantiarum consideratio se habuit: nempe *Universalis accidentie quidditas hîc exquirenda est, eaq; in certa genera Entium distinguenda*. Omnino autem necessariâ esse accidentis considerationem, vel ostendit certamen de peccato originali à Flacio motum. Is enim cum non intelligeret quomodo peccatum originale abesse & adesse possit citra subjecti corruptionem, perperam conclusit, peccatum originis non esse accidens, sed substantiam. Meritò igitur cum bono DEO ad Accidentium contemplationem progrediamur oportet.

THESIS. I.

**A**ccidentis doctrina est vel *Generalis* vel *Specialis*. Illa naturam accidentis ut sic evolvit, eaque absolvitur *explicatione tum vocis, tum rei*.

I. Vox *Accidentis* sonat quasi *ad cadens*, quia ad substantiam quasi cadit, sive ad eam accedit, itemq; eius constitutionem insequitur, vel ei forinsecus superadditur. Aristoteli dicitur *συμβεβηκός*. Licet enim hæc vox etiam pro contingente sumatur, ut 6. Metaph. cap. 2. in propria tamen sede & arte disputans Philosophus semper *τὸ συμβεβηκός opponit substantiæ*. Ramistis dicitur *Adjunctum*, sed perperam cum hoc etiam substantia esse possit, ut quando professor adjungitur cathedræ.

III. Sciendum vero, quod aliud sit *Accidens* & aliud *Aliud est per accidens*. Ens per accidens vocatur. I. *ratione cause, per accidens.*

quando causæ aliquid accidit, ut albedo accidit ei, qui est causa disputationis: Undè per accidens erit, si dicatur, albus disputat. 2. *ratione effectus*, quando effecto aliquid accidit in productione præter intentionem agentis, ut si ambulationi accidat fractio pedum. 3. *Minus principaliter per accidens dicitur ratione unionis*, quando accidentaliter unita sumantur, ut coloratum, justus doctus, ferrum ignitum &c. de quibus supra actum est part. I. disp. 5.

*Aliud esse*  
*Accidens.* IV. Ipsum verò *accidens est tale Ens simplex, quod accidit alteri tanquam subjecto, in quo inest, & extra cujus essentiam est, ad quam actu perfecto jam ante constitutam accedit.*

*Accidens*  
*prædicabile* V. Valde autem notabile est, quod *accidens* sit vel *prædicabile* vel *prædicamentale*. Prædicabile vocant, quod accidentali modo prædicatur, & imprimis intelligitur *de quinto prædicabili*, nempe de accidente communi, quod opponitur proprio.

VI. Hoc *prædicabile accidens* definitur à Logicis, ex Porphyrio in Isagoge 5. prædic. *Accidens commune est, quod potest adesse & abesse citra subjecti corruptionem.* Et hoc accidens optimè potest esse substantia, nempe prout hæc prædicatur de alio accidentaliter, ut poculum est aureum: Ubi *aurum* dicitur de poculo accidentali modo, quia accidit poculo, quod sit ex auro, cum etiam possit esse ex ligno &c. Qua de re Logici fufius agunt in doctrina Paronymorum.

*Error Flacii* VII. Nos hinc notamus *errorem Flacii*, qui ex definitione accidentis communis, nempe prædicabilis, voluit probare, *peccatum originale non esse accidens, sed substantiam.* Error est fat crassus. Nam i. *perperam concluditur à negatione accidentis prædicabilis ad negationem veri & realis accidentis communis*, quâ Porphyrius ait accidens esse illud, quod potest adesse & abesse citra subjecti interitum. *Illam enim non loquitur de reali & Physica presentia aut absentia reali:*

*ali: sed de Logica, b. e. de separatione aut presentia mentali, que fit per negationem aut affirmationem, ut sit sensus, Accidens est tale prædicabile, quod negari potest de suo subiecto, vel affirmari citra destructionem essentiæ. Ut hominis essentia manet integra & illæsa, sive peccato dicatur infecta, sive non: Nempe homo est animal rationale, sive ipsi adhæreat peccatum, sive absit, ut in altera vita, & ante lapsum erat Adam verus homo: licet non fuerit peccator. Sed de hoc accidente prædicabili agunt Logici fusius.*

VIII. *Prædicamentale accidens est, quod in aliquo prædicamento accidentium collocatur, estque verum & rementale accidens, quod substantiæ opponitur.* Et de hoc unice nunc disquirendum erit, ejusque natura & quidditas exquirenda venit.

IX. *Igitur realis Accidentis ut sic explicatio sequitur, quæ definitione & divisione, & proprietatum collectione absolvitur.*

X. *Definitio realem accidentis quidditatem & essentialiam explicans communiter ita habet. Accidens est Ens simplex per se non subsistens, sed quod esse suum habet in alio, tanquam in subiecto.*

XI. *Primò dicitur Accidens est Ens: quia ipsi competit realis & positiva entitas ab entitate substantiæ distincta. Deindè differentia additur à modo existendi sumpta, eaque negativè & affirmativè exprimitur. Negativè dicitur accidens non per se subsistere, h. e. accidentis esse est inesse, & non per se esse, sive per se subsistere. Solius enim substantiæ est per se subsistere. Unde affirmativè dicitur, quod accidens esse suum habeat in alio, tanquam in subiecto.*

XII. *Notandum vero est, quod esse in alio tanquam in subiecto sit esse in aliquo ita, ut non sit pars ejus, in quo est, extra illud tamen esse nequeat. Item esse in subiecto est esse, ut quid extrinsecum subiecto, non constituens illud in esse substantiali. Smigl. disp. Log. 8. q. 8. item esse in alio tanquam*

quam in subjecto est esse in eo per realem inbarentiam. Ruy.  
Rod. in comment. ad Categ. Arist. cap. 5.

XIII. Hinc quiditas accidentis ita determinatur. *Accidens est, quod alteri inberet, sive quod per inbarentiam realem inest substantiæ tanquam suo subjecto.* Item accidens est Ens forinsecus additum substantiæ, cui inest, ita, ut sine illa esse non possit. Aliàs ita describitur. *Accidens est Ens, quod in & per substantiam esse suum habet.*

Divisiones  
accidentis  
generales.

XIV. Porro *accidens variè dividitur.* Primo à nonnullis juxta nomen dividitur in *Reale, Rationis, Negativum & Intentionale.* *Reale accidens* est propriè & πᾶσι dictum, quod est *Physicum & predicamentale, & inberens* appellatur. Et hoc modò definitum est. *Rationis accidentia* sunt notiones secundæ seu intentiones secundæ: *Negativum* est, quo aliquid negatur, ut Non-homo. *Intentionale accidens* est species intelligibilis vel sensilis, ut quando in speculo vel aqua radii alicujus referunt imaginem ejus, à quo sparguntur. Illa imago repræsentans in speculo dicitur *accidens intentionale, vel esse intentionale: quomodo & Physici dicunt, quod colores nubium habeant esse intentionale.*

XV. *Reale accidens* subdividitur (1.) in *Completum & Incompletum.* *Completum accidens* est, quod in ratione formæ accidentalis est forma integra & totalis, ut nigredo, albedo. *Incompletum accidens* est, quod rationem partis habet respectu completi, ut sunt *Accidentium differentia* v. g. congregativum visus respectu nigredinis.

XVI. (2.) *Accidens est vel permanens vel successivum.* Illud est forma in termino, perfectione ac quiete: ut color, linea, calor. Hoc successivum est, quod perpetuo fluit, ut motus, tempus.

XVII. (3.) *Accidens est vel Entitativum vel modificativum.* Illud est propriè dictum accidens, quod est Ens reale veram Entitatem habens, & ita inhæret alteri, ut  
quan



quantitas, magnitudo, habitus: qualitates patibiles: potentia naturales &c. *Modificativum* est, quod proprie accidens non est, sed modus essendi; indeque simpliciter nequit sine suo subjecto conservari, cum ejus essentia in hoc sita sit, ut subjectum actu afficiat, ut *Figura*, quæ certe nequit esse sine figurato. Sic unio est modus, qui nequit esse sine partibus conjunctis: cum nihil aliud sit, quam partium conjunctio.

XVIII. (4) Accidens est vel *separabile* vel *inseparabile*. Separabile est, quod à subjecto, ita ut hoc illæsum maneat facile separari potest. Ut albedo à pariete: doctrina ab homine. *Inseparabile* est, quod vel planè non, vel difficulter separatur à subjecto: ut albedo à cycno: nigredo à corvo.

XIX. (5.) Accidens est vel *simplex* vel *copulatum*. Simplex est, quod non habet subjectum determinatum, quod ponatur in ejus definitione, ut curvum. *Copulatum* accidens est, quod subjectum determinatum habet, sine quo nequit definiri, ut finitas, cujus subjectum est nasus.

XX. (6.) Accidens est *formale* seu *in abstracto*, quod ipsam duntaxat formam accidentis notat: ut color, vel ut vulgò loquuntur, coloreitas: ubi tamen revera non abstrahitur coloreitas à colore, sed saltem nominis est abstractio, & alia ejusdem formæ appellatio. Accidentia enim in se sunt ipsa abstracta: ipsæ formæ. Non itaque verè ab illis poterit abstrahi alia formalitas. Vel *accidens connotativum* est sive in concreto, quod formaliter significat formam accidentalem, & connotat ejus subjectum, ut album, coloratum.

XXI. Denique accidens est vel *commune* vel *proprium*. Hoc uni soli speciei & omnibus ejus individuis inest, ut hinc in Equo: *Illud* est, quod multis speciebus est commune, uti ex Logicis notum.

XXII.

Proprieta-  
tes acciden-  
tis.

XXII. Hæc de divisionibus accidentis communiori-  
bus. *Proprietates accidentis* sunt. 1. Inherere seu esse  
in alio tanquam in subjecto. 2. Dependere à substantia  
in fieri, in esse & in operari: scilicet fiunt in substantiis, nec  
extra illas aut fieri aut esse possunt, juxta naturalem suum sta-  
tum & conditionem essentialem: indeque dependenter  
agunt à substantiis, quibus subjectivè insunt. 3. Informa-  
re & afficere substantias. 4. esse affectus & effectus sub-  
stantiarum. 5. paronymos dici de substantiis &c. de qui-  
bus in axiomatibus.

Speciales  
substantia-  
rum divisi-  
ones.

XXIII. Fuit generalis accidentis evolutio, sequitur  
*specialis.* Sic autem in specie accidens dividitur *in primum*  
& *secundarium.*

XXIV. *Accidentia primaria* dicuntur illa, quæ sim-  
plicia sunt, ut quantitas, qualitas & Relatio. *Quantitas*  
*simplex* accidens est, quia simpliciter inest substantiæ per  
materiam: qualitas per formam: Relatio per suum funda-  
mentum.

XXV. *Accidens primum* est vel absolutum vel re-  
latum. *Absolutum accidens* est, cujus essentia est absoluta  
sine respectu ad aliud tanquam ad terminum: Estque vel  
quantitas vel qualitas.

XXVI. *Relatum accidens* est, cujus essentia nihil ali-  
ud est, quam ad aliud referri, uti infra disp. 8. dicetur fusius.

XXVII. *Accidens secundarium* est, quod ex primo-  
rum accidentium cum substantia complicatione oritur:  
quale est actio, passio, quando, ubi, situs & Habitus, de  
quibus in ultima disputatione agemus.

XXVIII. De *primariis accidentibus* ordine ut aga-  
mus, prius de quantitate hinc quædam dicenda veniunt.

Quantitas.

XXIX. *Quantitas est accidens primum absolutum,*  
*quo substantia extenditur ut sit in partes diversas divisibilis.*  
Arist. lib. δ. Metaph. c. 13. ita describit: Quantum est quod  
divi-

divisibile est eis ἐν παντί ἔχοντα hoc est, in ea, quæ inexistunt,  
quorum utrumque vel unumquodque, unum, quiddam  
& hoc aliquid aptum est esse.

XX X. Quod ut intelligas adverte tria esse præcipua,  
quæ derivat substantia è quantitate. 1. quod sit *mensurabilis*.  
2. quod sit *dividua*. & 3. quod sit *partibus extensa*. Inter  
quæ primum est extensio. Nam propterea est divisibilis &  
mensurabilis substantia: quia est extensa. Ergo quantitas  
formaliter dicit ipsam extensionem.

XX XI. Bartholinus ita censet. *Habere partes extra  
partes est de essentiali ratione quantitatis*, sed ut divisibilitas,  
itemque mensuræ ratio, est quædam affectio quantitatis, con-  
sequens essentiæ rationem, non constituens. Sic quamvis  
quantitati convenient, 1. habere ordinem partium extra  
partes. 2. habere ordinem partium ad locum. 3. ex-  
trudere aliam dimensionem seu quantitatem: tamen pri-  
mum (esse extensum & habere partes extra partes) tantum,  
est de intrinseca ratione quantitatis, ita ut tolli nequeat, si  
quantum debeat esse quantum.

XX XII. Scias verò, quod hinc *non sermo sit de quan-* *Quantitas*  
*titate virtutis*, quomodo aliquid dicitur vel majus vel mi- *virtutis.*  
nus ob majorem vel minorem perfectionem, ut *magnus* &  
*Orator*, vel *parva fides* &c. sed intelligimus *quantitatem mo-* *Quantitas*  
*lis*, quæ contra distinguitur reliquis accidentibus in aliarum *molis.*  
categoriarum classe positis, quæque substantias facit exten-  
sas, adeoque ipsis tribuit molem aut magnitudinem.

XX XIII. De hac quantitate dicimus, quod consistat  
*in extensione molis*, quæ aliàs explicari solet *per* τὸ *habere par-*  
*tes extra partes*. v. g. quantitas lineæ essentialiter dicit ex-  
tensionem illam, qua partes lineæ secundum molem ita  
extenduntur, ut una sit extra aliam.

XX XIV. Hinc *ab extensione hac quantitatis* oriuntur  
& consequuntur variæ proprietates seu passionis quanti,  
B qua-

**Quantum** 1. est divisibilitas in easdem partes extensionis. 2. *Mensura*, hoc est, quod quantitas illa sit mensurabilis per aliam vel per proprias partes. 3. *finitas quanti*. 4. *fundamentum equalitatis & inequalitatis*. 5. *extensio quanti in ordine ad locum*, quæ non est aliud, quam sic replere locum, ut singulis ejus partibus singulæ etiam atque distinctæ partes loci respondeant. 6. quod una quantitas non possit penetrare se cum alia in eodem loco, Ruy. Rod. Com. Log. in lib. Categ. cap. 6. quæst. 1.

XXXV. Cæterum quantitas est vel continua vel discreta. Illa dicitur Magnitudo, cujus partes communi vinculo connectuntur, & habet tres species, Lineam, superficiem & corpus, de quibus Geometria agit fusius.

XXXVI. Quantitas discreta est multitudo, cujus partes non coherant communi termino, uti est numerus, de cujus natura & varietate præcipere debet Arithmetica.

XXXVII. Sic ergo apparet, quomodo Metaphysica tanquam regina scientiarum Philosophicarum præscribat objecta sua Mathesi, & quidem, ut tum Geometria derivet suum objectum, nempe magnitudinem ex hac nostra prima Philosophia; tum etiam Arithmetica suum, nempe Numerum ex eadem depromet. Igitur accuratiorem quantitatis specierum evolutionem Mathesi relinquimus, & ita hac vice metaphysicas contemplationes de quantitate ejusque speciebus terminamus.

#### A X I O M A T A.

1. *Accidentis esse est inesse*. E distis. Non enim est sibi Ens, sed substantiæ: nempe est ejus affectio.

2. *Accidens non est sine subjecto*. Arist. in Categ. cap. 2. item, Nullum accidens est extra subjectum. Scal. Exerc. 71. sect. 1. & Exerc. 53. sect. 1. Item Accidentium, sive propria sunt sive communia omnium est conditio, ut in alio insint. Zabar. 1. post. cont. 94. Quæ omnia è dictis plana sunt.

3. *Omne*

3. *Omne accidens à certa fluit substantia.* Scal. ex. 10. scil. tanquam ex principio radicali & principali vel remotè vel proximè. Aliàs non inficiamur, quod unum accidens immediatius oriatur ex alio accidente, ut levitas ex calore, & habitus ex actionibus crebrioribus.

4. *Accidentia plerùmque non propriè fiunt, sed ad efficien-  
tiam compositi accidentalis quasi consiunt.* Ut enim partes propriè non generantur sed totum compositum: ita quoque accidentia per se non producantur, sed una cum toto composito substantiali. Sic igne producto unà & calor ejus comproducitur.

5. *Nullum accidens potest statui principium substantiæ.* Zab. de const. Indiv. Item, Accidens non est aptum substantiæ essentiam constituere. Zab. lib. 2. de prim. mat. cap. 17. Rectè Scal. Exerc. 10. Accidens qui substantiam fecerit? non certè producit substantiam, nisi à substantiis. Et res est certa. Accidens enim dependet à substantia, & est posterius substantiæ. Ergo nequit esse principium substantiæ. Intellige verò principium principale. Aliàs instrumentaliter concurrere potest accidens ad productionem substantiæ, ut hac de re in Physicis disputatur.

6. *Plura accidentia specie differentia possunt simul habere in eodem subjecto.* Zab. de Gen. & corrupt. cap. 5. Sic in homine sunt albedo, pietas, eruditio, Theologia, Philosophia, paternitas &c.

7. *Idem numero accidens nequit esse in diversis subjectis.* Nullum enim accidens migrat de subjecto in subjectum. Et rectè Zab. de ortu & Inter. cap. 9. Migratio ejusdem numero accidentis ex uno subjecto in aliud, impossibilis est. Dicitur autem notanter idem numero accidens. Nam quod specie idem ad alia communicari queat, dubium non est, ut quando sapientia præceptoris communicatur discipulo per procreationem alterius similis in mente discipuli.

8. *Nullum accidentale essentiam rei immutat.* Scal. lib. de Caus. L L. cap. 63. Manet enim extra essentiam, sive adsit sive absit: & essentia rei semper in se est integra & perfecta.

9. *Quantitatum nulla est efficacia.* Scal. Exerc. 362. sect. 1. Hinc ineptum judicatur illud, quod putant de incantationibus Magicis posse illas, quæ verba sunt & quatenus nude recitantur, lædere homines.

10. *In majore quanto major est virtus;* Item in magnitudine plus est virtutis activæ. Zab. 1. de mixt. Gen. cap. 3. & lib. de React. cap. 4. Propterea scilicet quia qualitas in majore quanto cumulatur, indeque intensior fit. Ut multa ligna incensa plus calefaciunt fornacem, quàm pauca. Sic corpora gravia, quò sunt majora descendunt citius & celerius.

11. *Omnium rerum quantitas determinata est.* Beda in axiom. p. 143. Scilicet habet terminos pro ratione essentiæ, cujus est quantitas.

12. *Ubi quantitas est & figura, ibi necesse est materiam subjectam esse.* Scal. exerc. 61. sect. 5. quia materia est radix & origo quantitatis & extensionis, quæ postmodum figuratur.

13. *Quantitati nihil est contrarium.* Vera scilicet contrarietate strictè dicta, quæ est in terminos se mutuo expellentes è communi subjecto per veram actionem: qualis est in solis qualitatibus.

14. *Quantitas non recipit magis & minus.* Sic ternarius non est magis quantitas quàm binarius. Interim major est. Majus enim admittunt quanta, sed non magis. Parva linea æquè est linea atque magna, licet hæc sit major.

15. *Res per quantitatem dicuntur æquales vel inæquales.* Sic duo homines eandem longitudinem habentes dicuntur æquales. Item duo ejusdem ætatis dicuntur æquales aut inæquales, si unus natu major est, alter inferior.

Quæ

## QUÆSTIO,

### *An Accidentia realiter separari queant à substantiis.*

Dicendum est 1. Accidentia esse in triplici ordine: quædam sunt perfecta & completa, eaque superaddita substantiæ ad operandum per illa: sic accidentia ab aliquibus dicuntur potentia virales respectu animæ, & alia potentia operativa. Quædam sunt imperfecta & quasi incompleta, quæ modi potius rerum, quas sequuntur, quàm res vocari debent, quia in illa re nihil aliud ponunt præter talem modum se habendi, ut figura, ubiætas, præsentia: Quædam, nec modi propriè dicti, neque res sunt, sed duntaxat rationes formales entitatis, ut unum, verum, bonum, quæ sunt proprietates Entis. Advertendum ergo, erit 2. quod quæstio sit de illis accidentibus, quæ completa sunt, & realiter distincta à substantiis: Et dicimus talia accidentia posse realiter separari à substantiis: Si non potentia finitâ naturali & modo ordinario; tamen infinita potentia, obedienciali, absoluta & modo extraordinario: Hoc est per absolutam DEI potentiam, modo miraculoso & supernaturali omnino accidentia possunt realiter separari à suis subjectis. Quæ sententia confirmatur 1. quia habent essentiam realem realiter diversam ab essentia substantiæ. E. etiam illorum essentia conservari potest sine substantiis. Ergo etiam poterunt separari, modo potentia separantis sit sufficiens. (qualis omnino est infinita virtus) 2. quia sunt è numero possibilium. Non enim involvitur repugnantia terminorum, si dicatur accidens aliquod verum esse à substantia sublatum. E. cadet illorum separatio sub aliquam potentiam activam: & in primis sub absolutam DEI activitatem. 3. quia illa separari queunt, quæ majorem habent connexionem, & magis intrinsecam cum eo, cui sunt connexa. v. g. substantia suppositalis, quæ est modus & terminus

mus ultimus substantiæ primæ, quæ non constituunt proprium  
suppositum, sed in alieno subsistunt, ut sal commistum  
aquæ in aqua, aurum in poculo deaurato, ignis in ferro  
ignito, uti supra contra Goslavium fusè probavimus. Cur  
ergo non magis queant separari accidentia realiter diversa à  
substantiis? Itaq; concludo, quod per absolutam Dei po-  
tentiam omnino realiter separari possent accidentia à sub-  
stantiis. Et quid? etiam propria accidentia possunt separari.  
Capessis exempla. *Urere est proprium ignis, & tamen actus  
comburendi inhibebatur à Deo, ut non possit ignis combu-  
rere pueros in fornace Babylonicâ: ut legitur Dan. 3. Sic ferri  
proprium est descendere, & ad centrum naturali vi semper de-  
vergit: Et tamen vi potentis Dei 2. Reg. 6. v. 6. scribitur, non  
descendisse neq; submersum in profunditatem aquæ: sed su-  
permutasse in superficie aquæ. Sic moveri est proprium solis. Sol  
enim physicâ necessitate semper movetur, nec potest non  
moveri naturaliter. Et tamen sol per infinitam Dei potentiam  
in pugna Josuæ stabat immotus in medio cœli, quâ de re Jos.  
10. v. 13. Sic humidi & aquæ proprium est diffluere & non con-  
sistere propriis terminis. Et tamen hoc proprium omninò se-  
parabatur ab aqua maris rubri, quod instar muri solidissimi  
propriis extremitatibus consistebat: Exod. 14. v. 22. Unde  
meritò & piè cecinit Philippus:*

*Non Deus est numen Parcarum carcere-clausum,  
Quale putabatur Stoicus esse Deus  
Ille potest Solis currus inhibere volantes  
Ille velut scopulos flumina stare jubet.*

Eant nunc Calviniani greges, & porrò non sine stoicâ bla-  
sphemia dicunt, Deum non posse propria realiter separare  
à suis subjectis, salva manente eorum essentiâ. Vide sis ca-  
præter. τὸ αὐτονομία five personalitatem propriam obtinere  
& per se subsistere est proprium hominis vel substantiæ primæ  
humanæ. Dimanat enim hoc vi naturali ex essentia comple-  
ta ho-



ta hominis, & semper ad essentiam hominis perfectè consti-  
tutam sequitur secundum statum & conditionem natura-  
lem. Et tamen hoc proprium est separatum ab humanitate  
Christi. Credimus enim secundum scripturam unam esse per-  
sonam factam ex λόγῳ & homine, ita, ut λόγῳ sive Deus in su-  
am propriam subsistentiam & personalitatem divinam rece-  
perit humanitatem. Unde hæc Christi humanitas non per se  
subsistit, sed in λόγῳ sive in persona Dei infinitâ & illocali. Et  
hoc ipsi Calviniani (nisi Nestorianismi velint esse rei) nega-  
re non ausint. Quomodo itaq; sine conscientia læsione po-  
terunt negare, quod hoc proprium humanæ naturæ: per se  
subsistere aut personalitatem propriam habere, sit revera se-  
paratum ab humanitate Christi, quodq; illa humanitas ha-  
beat subsistentiam & personalitatem in λόγῳ, adeoq; perso-  
nalitas τὸ λόγῳ sit communis humanitati, ipsiq; verò communica-  
ta. Similiter se res habet de propriis imperfectioribus. Mul-  
tæ infirmitates & imbecillitates corpori ψυχῆῳ nostro hac  
in vitâ naturaliter adherent, & constitutionem corporum  
nostrorum semper concomitantur. Istæ tamen omnes in al-  
terâ vitâ auferentur, essentiâ corporis non destructâ aut im-  
mutatâ. Ut enim Apostolus docet 1. Corintb. 15. Corpus no-  
strum gloriosum in altera vita erit πνευματικόν: Erit τὸ πῶς sed non  
τὸ ὅτι. Manifestum ergo est, quod accidentia propria queant  
separari à subjecto per Dei potentiam, quod ipsum notari  
debet propter adversarios Calvinianos. Hinc enim apparet,  
quam pueriliter illudere tentent incautiores, quando ita ar-  
gumentantur. *Propria non separantur. Videri, palpari, sunt pro-  
pria corporis. Ergo non separantur. E. quod non videtur, aut  
palpatur, non est presens.* Falsa hæc omnia esse & ἀπόλογη  
quis non videt? Posse namq; actualia propria separari satis  
jam evicimus per exempla quàm plurima, & pluribus alibi  
σὺν θεῷ demonstrabimus. Nihil dicam de aliis vitiis, quibus  
hoc sophisma Calvinisticum laborat. Est enim collectio ab eo,  
quod

*quod naturaliter est corpus, ad id, quod sacramentaliter est corpus. Est in simul argumentatio negativa ab actu secundo, ad actum primum, quam vitiosam esse, vel tyro Logicæ Peripateticæ callet. Adde quod insuper per naturam propria actualia & remotiora separari queant. Hoc autem non intelligi volumus ac si natura possit cursum naturæ tollere, aut positis omnibus requisitis & conditionibus necessariis actionem alicujus agentis physici inhibere. Id enim solius DEI est: sed hoc ajo, quod natura quandoq; impedimentum objicere possit nature, quò minus perfectè id, quod intendit, perficere habeat. Actuale proprium est gravium corporum descendere & petere terram. Omne enim grave per vim insitam necessariò descendit. Et tamen hoc ab iis non rarò separatur vel per impeditionem aliquam extrinsecam, vel per elevationem aliquam in gradum rerum naturalium superiorem, quando nempe elevantur in statum animale. E. g. Caput humanum est grave corpus & gravius, quàm pedes vel aliud aliquod membrum humanum, & tamen non descendit, & ad terram vergit, sed in supremo loco consistit inter membra humana: ubi ejus descensus actualis per animam inhibetur. Sic corpus avicula vel aquila vel aliús avis est grave: Et tamen actuale proprium, nempe descendere, ibi non actu viget, dum evolant in altum. Sed manum de tabula.*

## SOLI DEO GLORIA.

Περὶ Φωίνης  
 Ad

*Humanissimum ac Literatissimum Dn. Respondentem.*

**E**st labor immensus Sophiam pernoscere primam.  
 Est labor ingenuus, gratus & ipse DEO.

Hic CASPARE tuas vires intendis & instas.

Perge, feres studiis commoda digna tuis.

*Imq; apponeb.*

M. JOHANNES SCHARFIUS, Præses.


AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104

3







B.I.G.

Farbkarte #13



26

PHYSICÆ  
 TOME VI.  
 OCCIDENTALIS  
 CIVITATE  
 Trinitatis,  
 SCHARFII,  
 adensis Saxonis,  
 of. Adjuncti,  
 ACADEMIA  
 submittit  
 ADUS SAHERUS  
 Philosophico,  
 ris à 7. matut.  
 R G Æ,  
 STIANI THAM,  
 gr.  
 XXIV.

